

Thuris dotes  
immunitati  
Marianae  
adaptantur.

Mariani in  
Deum reli-  
gionis cha-  
racteres.

S. Damasc.

discutit; alterum, quod ad aurium dolores conferat, in utraque hujus originariae religionis effectum agnoscimus, contrarium duplici item vitio oculorum, & aurium ab illa perfida Evana irreligiositate olim proveniente. Ut enim primum culpa ea commissa, & oculis misera errorum caligo universim effusa, & male ab Adamitis audire ceptum, oclusis nempe, non sine dolore, obedientiae auribus. Ergo Maria ab illa profus immunitate culpa & perspicacissima a Conceptione ipsa pervidit, perpexit, nullam pravae dispositionis ignorantiam admittens, & aures integrè & feliciter valentes forata est, quibus divini praecepti vocem auscultata quam exactissime fuit executata. Uno contentus hic sum Damasc. testim. ex Orat. 1. de B. Mariae Nativ. O divinum ac vivum simulacrum, ad quod Opifex Deus inventus est, mentem quidem divinitus gubernatam habens, ac Deo soli operam dantem, cupiditatem autem omnem ad id quod solum expectandum, atque amandum est, intentam; iram verò adversus peccatum dumtaxat, ipsiusque parentem. Vitam naturam praestantiorē habebis, non tibi ipsi: neque enim tui ipsius causam progenita es; quocirca Deo habebis. Siste, & expe, Mariam vividum & expressum divinum simulacrum esse conditam, illi, cujus imaginem referebat, ab ipso creationis exordio additissimam, nihil praeter Deum expectentem; uni Dei adversario, nempe peccato, peccatique auctori adversam; vitam à prima generatione naturam omnino superiorem uni omnino Deo consecratam. Quinam alii purae, ac syncerae religionis characteres? Pergit subdere utramque religionis certissimam notam; perspicacem, atque perspicuam veri cognitionem, divinaeque Legis obtemperantiam. Oculi tui semper ad Dominum, perenne atque inaccessum lumen intuentes: aures divinum sermonem audiunt, ac Spiritus cithara oblectantur. Sic Virgo Mater sacrum thuris religiosi cultum mirifice complevit, quo suam se domum vaporasse inquit: Et quasi thus non incisum vaporavi habitationem meam. Id autem perinde est, atque dixisset, hanc se domi apud se religionem semper fuisse professam.

Quo spectet  
symbolum  
thuris non  
incisi, seu  
atomis.

Quam gra-  
vis Deiparae  
ultroneus  
Conceptionis  
cultus.

2012 Sed est quod in superiori illo Epitheto lectissimi thuris disquiram? Quasi libanus non incisus. Cur thus hocce atomum? quo symboli sensus? An integritatem Virginis innuit, quae virgineo illibata corpore Filium suum ex sacro utero thurifera nobis arbor effudit, divinae religionis exemplar lucidissimae? An atomum dixit thus, quod religiosus Mariae in Deum cultus numquam sectus, nunquam divisus? Una illa unum Deum, uno atoque religionis cultu semper venerata. Nos quidem omnes thus violavimus, atque in partes divisimus, dum ab uno discessimus originariam per culpam Numine. An non incisum dixit Libanum, quod spontaneum thus generosius, pretiosius, gratius? Et quidnam inde ad institutum? Ultroneamne diu futuram hanc Marianae conceptionis colendae religionem? Video. Et quid praeterea? Gratioremne, ac pretiosorem eorum hunc voluntarium cultum quam sit alius praeepto injunctus & exactus, v. g. Virginitatis Marianae celebrandae? Vir doctus & gravis Jerony. de Florentia celeberrimus in Regia curia Regius concionator è nostro Sodalitio Ser. 1. de Conceptione s. 1. pronunciat, non semper hoc

fuisse minus meritorium, quia non ex praeepto necessarium, uti defensio Virgineae puritatis necessaria est. Quod ego sic interpretor: ut haec Conceptionis devota celebritas & cultus, spontaneus quidem & ultroneus, neque ullo Ecclesiae praeepto adhuc religiosè injunctus, non minoris internum per accidens meriti existat, quam ille, per quem Deiparae v. g. virginitas colitur, quae praeepto constat. Ipsa enim illa spontanea colendae immunitatis alacritas, quae tanto fidelium ardore per Dei Ecclesiam exarsit, ferventiores accendit tum internas, tum externas Christiani populi meritorias actiones, quae licet ultraneae sint, cum tamen intensiores existant quam praeeptae aliquae, jure optimo dicuntur eas multis meriti gradibus superare, quae ex praeepto communiter proveniunt, non adeo tamen intensae. Quod hoc praefertim saeculo experientia docet, qua ubique Gentium videmus Marianae Conceptionis ferias frequentius, devotius, & ardentius longè celebrari, quam alia quaedam ejusdem Deiparae festa, sive multitudinem attendas sacrificiorum, sive solemnitate processionum, sive doctas piaque in eam causam tuendam, ac propugnandam Conciones. Alioquin stat communis certaque Theologia; opera ex praeepto, seu voti obligatione facta, majoris meriti apud Deum esse, caeteris paribus, quam ultranea existant.

Nota.

2013 Denique adest balsamum non mixtum, id est, purum, ac syncerum, non aliis mixtionibus adulteratum; quod neque maculam, nec notam relinquit: quod est contra omnes serpentes efficac, serpentiumque ictus & morsus; quod vulvam aperit; ut relati Auctores in enodatione textus tradunt: addentes, has vires tum femini, tum succo ipsi, & ligno balsami vel à radice ipsa & trunco, inesse. Certè Maria exprimitur à Siracide, quae nec maculam, nec maculae notam ullam, utpote purissima, post se unquam reliquerit. Nimirum instar Balsami puritatis synceri, ab ipso Conceptionis odoratissimo semine, quo vulvam Annae Matris oclusam aperuit, serpentem procul abegit. Merito igitur S. Laur. Just. l. de Casto connubio c. 9. ad hunc Ecclesiastici locum sic scribit: *Ipsa est oliva virens, vitis fructificans, cupressus se attollens, palma frondens, terebinthus se expandens, Balsamo suavior. Haec nempe est Virgo Maria, quae colorum Regem ad se suo traxit odore: nimio namque innocentiae, ac virginitatis respectu candore. Quidquid honoris, quidquid dignitatis, quidquid meriti, quidquid gratiae, quidquid gloriae, totum fuit in Maria. Ubique sancta, ubique plena, ubique immaculata. Observa Balsami suavitatem cum nimio innocentiae candore. Adde quidquid gratiae cuique collatum creaturae, totum in Maria concedendum. Adde ubique immaculatam, ne conceptionem excipias.*

Balsamum  
syncerum  
quid pro  
Deiparae im-  
munitate  
suppliciter.

S. Lau. Just.

2014 Nefas praetere S. Bonaventuram sic ad rem nostram opportunè loquentem in speculo c. 5. *Apud Deum gratiam invenit, veram itaque & puram, nulla adulterina mixtura vitiatam, ut verè dicere possit: Quasi Balsamum non mixtum odor meus. Balsamum Mariae est unctio gratiae, qua Maria copiosissime infusa est. Unde Bernardus loquens de illo verbo: Spiritus S. superveniet in te, ait: Pretiosum illud Balsamum tanta tibi copia, tantaque plenitudine infuset, ut copiosissime effluat circumquaque. Balsamum*

S. Bonav.

num miseri solet (subtextit Bonaventura) & vitiarimelle, vel oleo. Sed certè Balsamum Spiritus S. in Maria non fuit mixtum, quia nec melle carnalitatibus & mundana consolationis, nec oleo laudis & adulationis fuit vitiatum. Sed quia tam vera & tam pura Maria gratia fuit, ideo bene Jeronymus de ipsa sic dicit: *Quidquid in Maria gestum est, totum puritas & simplicitas, totum gratia & veritas, totum misericordia & justitia fuit, quae de caelo prospexit. Et propterea immaculata, quia in nullo corrupta. Ad didi ex Hierony. hoc extremum ommissum à Bonaventura, nondum immunitatem Virginis in speculo illo vidente. Addo quod supplemit etiam ex Bernardo, quem citat: Redempturus humanum genus, premium universum contulit in Mariam. Ut quid hoc? Fortè ut excusaretur Eva per Filiam, & querela viri adversus feminam deinceps sopiretur. Ne dixeris ultra, è Adam: Mulier, quam dedisti mihi, dedit mihi de ligno vetito.*

S. Jerony.

S. Bernard.

2015 Sat dictum de odoratissimis aromatis à Siracide adductis pro commendanda Mariae immunitate ad originali contagio. Illud hic addendum, ad instar horum aromatum suum diffundere quaquaversus odorem Deiparam Virginem. Spirat enim ipsa cinnamomum, balsamum, myrrham, storacem, galbanum, unguulam, aloem, & thus: promanat ab ipsa, quasi ab iis aromatis circumquaque odor jucundissimus. Quid hoc? Odoris symbolum pro notitia & fama usurpatur. Erit igitur odor, quem Maria spirat, notitia celeberrima, & publica fama suae praeservationis, suae immunitatis, suae purissimae Conceptionis, suae originariae innocentiae, per universum orbem suavissimè diffusa, ubique decantata, vel in caelis ipsis ab Angelis universis, à Beatis illius triumphantis Hierosolymae civibus, qui jucundissimam hauriunt odoratissimae Reginae fragrantiam, & immortales gratias aeternum toti Trinitati referunt pro Matris sanctissimae praeservatione. Quidquid enim in Maria & per Mariam divina peregit Omnipotentia, Mariam ostendit praeservationis odore jucundissimè fragrantem.

Fama Ma-  
rianæ im-  
munitatis  
quoque ver-  
sus diffusa.

Moralis elucidatio.

SECTIO LII.

Christiani simus toti aromatiferi, incomparandam Christi fragrantiam quaqua versis diffundentes.

2016 Vidisti jam, qua ratione Christus Dominus ad instar sit odoratissimorum aromatum longè latèque gratissimum spirantium halitum? Certè qui Christiano insignimur nomine, Christianaque tantopere gloriamur professione, toti simus aromatiferi operæ premium est, incomparandam Christi fragrantiam in nobis inhabitantis usquequaque, & quacunquae diffundentes. Sic enim Christus per nos ita suaviter sese odoratum exhibebit, ut vel occupatos hominum sensus invadat, agnoscat, & honoretur ab impiis, ab infidelibus. Ut enim Plin. l. 13. c. 3. *Summa commendatio unguentorum est, ut transeunte femina odor invitet aliud agens.*

Plinius

Sant. 1. 2.

2017 Hinc illud Cant. 1. 2. *Oleum essimum nomen tuum. LXX. unguentum, Arabic,*

unguentum suave, ex variis nempe aromaticis speciebus compositum. Quasi dicat: Tortus Christus quantus-quantus est, totus est odoratissimum gratiarum & virtutum omnium unguentum. Inde ab Hebr. *Messias* appellatus, à Graecis *Christus*, qui Latinis sonat *unctus*. Unguentum quidem non alabastro conclusum, sed effusum; in nos planè; effusum quasi ex vase in vas, ut Hebraea exprimit: ut simus tanquam vasa quaedam, sive myrothecia, quibus suavissimum illud unguentum circumferatur, & exhaletur. Hoc quippe sibi vendicat Christianorum nomen, & professio, ita appellatorum à suavissimo Christi unguento, quo imbuntur. Quapropter Naz. Orat. in S. Baptisma egregie aiebat: *Unguentum illud, nostrum causam exhaustum odoremur, spirituali modo illud accipientes, atque ab eo ita efformati, & commutari, ut ex nobis quoque suavis odor essetur.* Ac si dicat: Christianos esse, id est, unctos à Christo, perinde omnino est, atque aromatiferos Christi esse, qui Christum, Christique virtutes olere semper debeamus, & exhalare ubique.

Christus, id est, unctus.

Christiani, id est, uncti ut ex illis bonis Christi odor efficitur.

S. Nazianz.

2018 Pauli haec decantatissima doctrina est 2. ad Cor. 2. 14. *Odorem notitiae suae manifestat per nos Deus in omni loco; quia Christi bonus odor sumus Deo. Quid hoc, quæso? Divinè explicat Bern. Ser. 12. in Cant. Paulus vas electionis: reverà vas aromaticum, vas odoriferum, & refertum omni pulvere pigmentario: Christi enim erat bonus odor Deo in omni loco. Etenim, dum Apostolus vas electionis factus est, ut portaret nomen Domini, quod est suavissimum, jucundissimumque unguentum, sic sese ad Christi exemplum efformavit, divinam auxiliante gratia, ut non nisi miros ex se omnium virtutum odores adsperaret, quibus Christas ubique manifestabatur: bene semper olebat, quia semper Christum olebat, ita ut, transeunte illo, odor invitaret alii agentes ad Christi cultum & imitationem. Et talis profectò debet esse Christianorum vita, ut bene semper oleat, dum semper Christum olet per Christianarum virtutum exercitium, per quod Christi bonus odor sumus Deo. Proinde Chryf. ad ea Pauli verba Ho. 5. *Sumus tanquam regale suffragatorum sive thuribulum, quocunque accesserimus caelesti fragranes unguento, ac spiritali suavolentia.**

2. Cor. 2. 14. Christianus bene semper oleat dum Christum semper olet.

S. Chryf.

2019 Quò spectat Davidicum illud geniale in Metro: *Myrrha & gutta & casia à vestimentis tuis, à domibus eburneis, ex quibus deleaverunt te filiae Regum in honore tuo. Pl. 44. 9. Preme illa, à vestimentis tuis, & à domibus eburneis. Si fragrantia aromatum illorum à vestimentis Christi, qua ratione à domibus eburneis? Num suavissimus illius unguenti odor tum ex Christi vestimentis, tum ex illis eburneis domibus dimanat? Ita planè res habet. Atqui, vestimenta illa humanam Christi naturam esse, universi fermè docent Davidis Interpretes, omni gratiarum, & virtutum affluentia, quasi unguento pretiosissimo ex nobilioribus aromatis permixto, bene imbuerant domus eburneas, id est, arcae, sive arcae ex ebore factas, in quibus vestimenta odoratissima servari solent. Arcae autem intelligentia, eburneae domus, ex multorum placito, illi sunt, in quibus Christus in habitat, & ex quibus, veluti ex thecis, & capsis eburneis mirae soliditatis & puritatis spiritua-*

A Christi vestimentis, id est, humanae naturae, mirae fragrantia, quam aspirant domus eburneae, id est, arcae, sive arcae.